



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Ositha Virg. 7. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

ob oculos Christum posuit. Has victorias cum per Hispanias & Italias circumtulisset, jamque Palæstinam etiam meditaretur, militem suum Superi ad triumphum evocarunt. Etenim cum pagum Cremonæ vicinum transiret, latrones duo, quò in insidias pertraherent GEROLDVM, litem ex composito adsimularunt. Hic nempe, quò digladiantes dirimeret, illicò accurrit. At illi jam dudum in mortem innocentis amici caduceatorem suum multis plagis confecerunt, interque silvas abdidderunt. Sed excivit urbem urbisq; Pontificem æs campanum suâ sponte sonans, & ut Martyr facilius reperiretur, prodigiola lumina cælum accendit. Ex Ferrar.

S. OSITHA VIRG. 7. Octobrii.

Quantum, ô parentes, educatio præstat! quantum, ô liberi, quibus cum vitam à teneris societis, interest! OSITHA regii sanguinis in Angliâ puellâ in Parthenone non profano sed sacro educta, quantum splendoris coronæ Anglicæ conciliavit! Et verò jam tunc prodidit cælum, quàm curæ illi sit inventus probè instituta & majoribus suis morigera. Missa OSITHA cum libro trans pontem, & turbine ab hoc dejecta, undis hausta credebatur. Sed Angelorum præsidio, tertio die prodit nun-

nunquam mergenda innocentia. Sub
 hæc in thori societatem à Rege Sigero
 invitatur. Sed dum Rex venatur feras,
 virgo ut Cupidinis retia effugeret, binos
 Episcopos advocat, & ab his velata in
 Christi nuptiarum numerum transit. In-
 doluit Rex; sed quòd Deo nollet rivalis
 esse, potestatem fecit è suo thalamo,
 in Christi, hoc est cœnobium trans-
 eundi. In hoc ne Regiæ sponsæ purpura
 deesset, ferro à Danis pro fide cœditur.
 Memoratur verò finus suis non alienis
 pedibus ambulasse, & caput abscissum
 ad usque templum extulisse, atque ibi
 demum, cum manibus templi januam
 pulsasset, placidè procubuisse. Fuit etiã
 qui morbo ad extrema deductus OSI-
 THAM in vota vocavit, vovitque ne
 moreretur, in religioso cœtu se victu-
 rum. Convaluit sed soteria solvere obli-
 tus vindicem morbum secundum sen-
 sit, nec prius manum iterum OSITHÆ
 medicam, quàm objurgatus ab hæc fi-
 dem liberaturum se sponndit. Itaque
 bis voti damnatus templo & cœnobio
 Anathema, se, dedit. *Ex Surio.*

S. PELAGIA POENITENS.

8. Octobris.

Vixit PELAGIA Alexandria sub
 Theodosii Minoris tempora, ob
 formæ venustatem corporisq̃ue cultum
 non jam Veneris serva, sed ipsa Venus
 N n habi-